

TURBA PHILOSOPHORUM.

est igitur concordans, & separans ne se invicem destruant, *Inquit Turba.* Si huius exemplum posuisses, non intelligentibus esset lucidius. *Resp.* libenter faciam: exemplum est ovum, in quo quatuor coniuncta sunt, eius cortex apparens, est terra: & albedo aqua; cortex vero tenuissimus cortici iunctus est separans inter terram & aquam, sicut significavi vobis, quod aer est separans terram ab aqua. Rubeum quoque ovi, est ignis, cortex qui rubeum continet, est aer, aquam separans ab igne & utrumque est unum & idem, aer cum frigida separans, terram videlicet & aquam ab invicem spissior est, aere altiore. Aer vero altior est rarior, & subtilior, nam est igni propinquior aere inferiore. In ovo igitur facta sunt quatuor, terra, aqua, aer, & ignis: solis autem punctus, his exceptis quatuor, in medio rubei, qui est pullus. Ideoque omnes philosophi in hac excellentissima arte ovum descriperunt exemplum, quod ipsum suo operi posuerunt.

*oviplex.*

*Sermo Quintus.*

ARISLEUS ait: scitote quod terra est collis, & non est plana, unde sol non ascendit super climata terrae una hora. Nam si plana esset, uno ascenderet momento super totam terram. *Inquit Parmenides:* Breviter locutus es Arislee. *Resp.* Nunquid magister dimisit nobis aliud dicendum, Dico tamen, quod Deus unus est, nunquam genuit, nec genitus est, & quod omnium caput post se est terra, & ignis: eo quod ignis tenuis & levis, regit omnia terrae, aut cum sit ponderosa & spissa fert omnia quae regit ignis.

*Ignis & terra.*

*Sermo Sextus.*

LUCAS ait: vos non nisi de his quatuor naturis loquimini & unumquemque vestrum aliud video dixisse. Ego autem notifico vobis, omnia quae Deus creavit ex his esse quatuor naturis & quae ex ipsis creata sunt ad eas revertuntur. In quibus creaturae generantur & moriuntur, & omnia prout Deus praedestinavit. *Inquit Democritus,* qui Lucae est discipulus, bene dixisti magister, cum de naturis quatuor tractavisti. *Ait Arisleus.* Quoniam Democrite a Luca scientiam habuisti, non deberes praesumere cum magistri tui peritis loqui. *Resp. Lucas.* Quamvis naturarum scientiam a me Democritus habuisset, huiusmodi tamen ab Indorum philosophis, & Babiloniensibus: vuto contemperantes suos ipsum hac scientia superare. *Resp. Turba.* Perveniens hic in illam aetatem, non parum placebit: nunc autem in iuvenili constitutus, fari non debet.

*Omnia ex elementis.*

*Democritus a Luca scientiam habuit*

*Sermo*